

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 51/15/I

BEATISSIME PATER,

Paulus Nguyên Thái Hop, O.P., Episcopus Vinhensis, summa cum animi devotione, quae quidem sensus etiam aperit cleri et christifidelium suae pastorali curae commissorum, humiliter et laetanter Sanctitati Tuae in notitiam refert: die XXVII Martii MDCCCXLVI conditum esse Apostolicum de Tonkino Meridionali Vicariatum qui, deinde "Vinhensis" appellatus, anno MCMLX ad gradum Dioeceseos evectus est.

Occasione sumpta a memorato anniversario die, speciales peragentur sacras functiones atque Verbi Dei celebrationes a die XXVII proximi mensis Martii, usque ad diem XXVII Martii MMXVI, ita ut sacramentorum recipiendorum apta cum praeparatione opportunitas quam largissime offeratur, opera fraternae supernaturalis caritatis instimulentur, et hac ratione sive in singulis christifidelibus, sive in variis coetibus dioecesanae communitatis, renovatio spiritalis per vitae consecratae Annum inducta mire roboretur et prorogetur.

Huic valde desiderato fini consequendo, apprime iuvabit donum Sacrarum Indulgentiarum quod, exinde, fiducialiter postulatur, testimonium et argumentum paternae benevolentiae Sanctitatis Tuae, et incitamentum ut solidetur in tota dioecesi hierarchicum et filiale vinculum erga eamdem Sanctitatem Tuam et erga proprium Sacrorum Antistem. Et Deus, etc.

**Die XXIII Februarii MMXV**

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco tributarum, *Iubilarem* largitur *Annum cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si cathedralem ecclesiam Vinhensem, aliasve sacras aedes determinandas, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilari celebrationi pie interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium preces Deo effuderint pro fidelitate Vietnamensis populi ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque B. Mariae Virg.

Pii christifideles senectute vel gravi morbo impediti, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus vel peregrinationibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus et doloribus misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilaribus templis prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.


Praesenti per Iubilaeum Vinhense valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Maurus Card. Piacenza

MAURUS S. R. E. Card. PIACENZA
*Paenitentiarius Maior*

Ioannes Maria Gervais

Ioannes Maria Gervais
*Ad. a Stud.*



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 52/15/I

# DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino Paulo Nguyên Thái Hop, O.P., Episcopo Vinhensi, benigne concedit ut, in Dioecesano iubilaeo, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus qui, animo omnino elongato ab affectu peccati, iisdem sacris interfuerint, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et Oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXIII mensis Februarii, anno Domini MMXV.

Maurus Card. Piacenza

MAURUS S. R. E. Card. PIACENZA
*Paenitentiarius Maior*

Ioannes Maria Gervais

Ioannes Maria Gervais
*Ad. a Stud.*